

tamen ei maximas gratias, pro beneficiis in matrem, conjugem, liberosque suos impensis: iis enim vitam, et pristini status reverentiam dignitatemque concessam: sibi autem a cognatis atque amicis, quibus et regna et vitam dederit, illa omnia erepta esse; precari se, ut illi victori terrarum omnium imperium contingat. Ultionem sceleris erga se perpetrati, non solum sua, sed exempli, omniumque regum causa, non negligere; illi cum decorum, tum utile futurum. Jamque deficiens aquam poposcit; quam adlatam postquam bibit, Polystrato, qui eam tulerat: quisquis es mortalium, inquit, hoc mihi extremum universae calamitatis genus accidit, ut pro tanto in me beneficio dignas tibi grates referre nequeam; at referet Alexander: Alexandro vero dii, pro ejus summa in meos humanitate ac clementia. Cui hoc fidei regiae unicum dextrae pignus pro me dabis. Haec dicentem, accepta Polystrati manu, vita destituit. Quibus Alexandro nunciatis, ad corpus demortui perveniens, tam indignam illo fastigio mortem, lacrymis prosecutus est; demptaque sibi chlamyde, corpus illius contextit: atque regio ornatum cultu, ad matrem Sysigambim, patrio regio more sepeliendum, atque regius majorum suorum tumulis inferendum, misit.

ORATIO

SCYTHARUM LEGATI. (L. VII. c. 8).

Alexander habebat in animo, Scythis bellum inferre. Illi non erant nescii: sed colloquio et compositione prius, quam armis bellum propulsare voluerant. Itaque legationem ad Macedonem miserunt, quae belli illati causas quaereret. Cujus haec fuit oratio, tota collata ad Alexandrum commonendum, et a temeritate ad moderationem et prudentiam revocandum. Docent igitur legati, Scythas, et pacis et belli artes optime callere. Itaque, hos ut sibi benevolentia adjungat potius, quam ad vim et ad arma vocet, admonent.